

tradenda, tum ad lectionem codicis. Historiam litterariam suo tempore h. e. altero fere semestri tradet, in ea quoad fieri poterit progressurus.

CONRECTORIS, CHRIST. AUG. SCHWARTZII A. M. partes hoc anno futuræ sunt in scholis *publicis*, ac *græcis* quidem, in explicandis Xenophonteis, quæ extant in Gesneri Chrestomathia, & in aliis ejusdem sylloges particulis, si forte licebit ulterius progredi: In *rhetoricis* autem, quoniam imprimis iuventuti prospiciendum est institutione ad usum vernaculi sermonis in epistolis & in rebus vitæ communis comparata; suis ipsius præceptis utetur & thesibus: ac deinceps unam alteramve e Cic. orationibus selectis interpretabitur. *Privatim* historiam inde a C. N. enarrare perget, Schrœkhium secutus. In scholis ejusdem generis *græcis* tractabit loca libelli Gedi-kiani difficiliora, in latinis Chrestomathiam Ciceron. Gesneri in locis e libris philosophicis, imprimis de Natura deorum, & quæ illa sequuntur, scripta etiam proponet e germanico in latinum vertenda.

JOH. MICH. TZSCHOPPE, Gymn. SubR. geographiam, quam dicunt, naturalem & politicam docebit, ad eam rationem cujus exemplum dedit *Bueschingius* in nobilissimo libello de hac ipsa re edito. In scholis mathematicis, quarum supra iam mentio facta est, per hunc annum tradet mathesin puram, adhibito ad rem ipsam libello *Krebsiano*, scholis publicis ab auctore destinato (Krebs Lehrbuch der Arithmetik, Geometrie und Trigon. für Schulen, 2te Ausgabe, Gieß. und Marb. 1784.)

JOH. HORTZSCHANSKY, Gymn. Collega I. historię antiquioris partem, quæ restat, primum persequetur usque ad C. N., qua finita transibit ad historiam patriam, imprimis Lusatię & rerum Lufaticarum descriptionem propositurus.

Hæc publice privatimque. Nam recentiorum linguarum notitiam juvabit in scholis separatis, gallicæ imprimis, Gymn. Conrektor, cui ista docendi provincia a *Senatu ampl.* tradita est. Nec deerunt discendi cupidis Viri Cl. JOH. M. TZSCHOPPE & GEORG. GOD. PETRI Dir. Mus., hic quidem cum in sermone gallico, tum in anglico & italico.